maioris periodi. Quare dicemus conexum condicionalis; Gennari autem respondebo, periodum hypotheticam, si hypothesis significet, non posse significare rem veram. Respondeat Franchini; quae sunt formae conexi condicionalis?

FRANCHINI. *Formae conexi condicionalis sunt tres: I) Conexum condicionalis obiectivum vel reale (modus indicativus); II) Conexum potenziale (coniunctivus potentialis, praesens vel perfectus); III) conexum condicionalis irrealis (coniunctivus imperf. pro tempore praesenti, plus quam perfectus pro tempore praeterito).*

GENN. *Primam formam conexi condicionalis non appellavisti realitatis, sed realem: nonne idem est?*

MAG. *Idem vere non est. Primam formam, praeterquam obiectivam, realem etiam vocamus hac una de causa, quod modo indicativo vel reali utitur.*

GENN. Ma anche nel primo tipo possiamo avere il congiuntivo ed avere invece l'indicativo negli altri tipi.

PROF. Lei, Gennari, non confonda le idee. Nell'apodasi della prima forma di periodo ipotetico può esservi il congiuntivo esortativo, cioè il congiuntivo proprio delle proposizioni indipendenti: per es. « si decida, se vi piace ». Nell'apodasi della seconda e della terza forma si può trovare l'indicativo invece del congiuntivo coi verbi di potere e dovere e con le frasi impersonali, se precede *paene*, se si dà come compiuto ciò che non è compiuto, se la protasi ha senso concessivo, avversativo od iterativo. Esempio: non possiamo conservare le amicizie, se non amiamo gli amici; avevamo splendidamente vinto, se Lepido non avesse dato accoglienza ad Antonio; tu cadevi, se non ti avessi tenuto.

GENN. *At etiam in prima forma habere possumus modum coniunctivum, indicativum contra in reliquis formis.*

MAG. *Tu, Gennari, cave ne res conturbes. In apodasi primae formae esse potest coniunctivus hortativus vel imperativus, coniunctivus scilicet quod est proprius propositionum principum: discernatur, si placet. In apodasi secundae ac tertiae formae inveniri potest indicativus pro congiuntivo cum verbis possum, debeo locutionibusque impersonalibus, si praedit paene, si datur tamquam perfectum quod perfectum non est, si protasis sensum habet concessivum, adversativum aut iterativum. Exempla: amicitias tueri non possumus, nisi amicos diligamus; praeclare vicimus, nisi Lepidus recepisset Antonium; labebaris, nisi te retinuissem.*

9.

DELL'ESERCIZIO

(*Ut* e *quod* dichiarativi; periodo ipotetico dipendente; gerundio e gerundivo).

Nei saggi quotidiani io da ragazzo solevo propormi soprattutto un famoso esercizio, che sapevo che era stato solito fare un mio maestro, cioè prendevo ad esempio i versi più solenni o leggevo qualche passo di prosa fino al punto, che potevo abbracciare con la memoria, e poi recitavo lo stesso argomento, che avevo letto, con parole diverse ma scelte il più possibile.

Ma poi mi accorsi che in un simile esercizio vi era questo inconveniente, che le parole, che erano più appropriate a ciascun argomento, più adorne e giuste, le aveva già usate il Leopardi, se mi esercitavo sui versi suoi, oppure il Manzoni, se per caso mi proponevo a modello la sua prosa. Così, se ado-

In quotidianis commentationibus mihi adulescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, quam meum quemdam magistrum scilicet esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus aut loco aliquo solutae orationis lecto ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem.

Sed post animadverti hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Leopardi, si ad eius versus me exercerem, aut Manzoni, si eius orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterem, nihil prodesse; si aliis,

peravo le stesse parole, l'esercizio non serviva a nulla; se adoperavo parole diverse, riusciva anche dannoso, perchè mi abituavo ad usare parole poco adatte.

Poi mi piacque un altro esercizio, e lo usai da giovanotto, di interpretare cioè i più grandi scrittori latini. Con questa lettura ottenevo che, traducendo in italiano quel che leggevo in latino, adoperavo parole bellissime e tuttavia dell'uso.

Occorre esercitare anche la memoria imparando alla lettera il più gran numero possibile di scritti nostri ed altrui. Quindi bisogna portare questo esercizio del dire fuori dall'ombra delle pareti domestiche, in mezzo alla gente, fra la polvere e le grida, negli accampamenti e nelle lotte dei tribunali, bisogna affrontare la vista degli uomini e cimentare le forze dell'ingegno, insomma quello che si è meditato nella propria camera bisogna portarlo nella luce della realtà.

etiam obesse, cum minus idoneis uti consuescerem.

Postea mihi placuit, eoque sum usus adulescens, ut summos scriptores Latinos explicarem. Quibus lectis hoc adsequebar, ut, cum ea, quae legeram Latine, Italice redderem, optimis verbis uterer et tamen usitatis.

Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forenses, subeundus visus hominum et periclitandae vires ingenii, et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est.

(Ridotto da CICERONE).

DELLA LETTERA

SCOLARO. Se scriviamo una lettera in latino, è sempre necessario usare i tempi passati del verbo per ciò, che è presente quando scriviamo, e sarà passato, quando sarà letta la lettera? Per es. « non ho proprio nulla da dirti » si deve sempre fare *plane nihil erat quod ad te scriberem?*

PROFESSORE. Non è necessario: infatti Cicerone segue l'una e l'altra maniera, e gli altri scrittori latini in generale usano nelle lettere i tempi nello stesso modo in cui li usiamo noi.

SCOL. E i saluti si devono sempre porre in principio?

PROF. Così cominciarono le lettere gli antichi: per es. « Cicerone saluta Attico... » ecc. Ma ora si suole cominciare la lettera in latino spesso come in una lingua moderna, con espressioni di affetto o di devozione, come

DISCIPULUS. *Si epistulam Latine scribimus, num semper opus est temporibus verbi uti praeteritis pro eo quod praesens est cum scribimus, sed praeteritum erit cum epistula legetur? « Non ho proprio nulla da dirti » semper reddendum est plane nihil erat quod ad te scriberem?*

MAGISTER. *Non opus est: nam Cicero utramque rationem sequitur, ceteri autem Latini scriptores in epistulis eodem ferme modo ac nos temporibus utuntur.*

DISCIP. *Salutatio autem semper in principio ponenda est?*

MAG. *Ita epistulae antiqui initium facere soliti sunt: ut Cicero Attico salutem dicit etc. Sed nunc epistula saepe incipi solet Latine ut in recentiore lingua, elocutionibus quae amorem vel obsequium significant, ut*

« carissimo amico, carissima mamma, egregio signore, chiarissimo professore, venerato maestro, gentilissima signorina, illustre generale, Santissimo Padre, Sire o Augustissimo Re Imperatore, glorioso Duce » ecc. Ed i saluti si possono mettere in fine alla lettera prima della firma: « addio, sta sano, continua a volermi bene, approfitta dell'opera mia con tutta libertà, salutami tuo fratello, porgi i miei rispettosi saluti a tuo padre, le porgo i miei ossequi, ti auguro di cuore buon Natale ed ogni felicità nel nuovo anno, tuo affezionatissimo, tuo devotissimo ».

amicæ carissime, dulcissima mater, domine egregie, clarissime professor, colende magister, humanissima dominula *vel* suavissima dominella, clarissime ductor, Beatissime Pater, Rex *vel* Augustissime Rex Imperator, inclute Dux *etc.* *Salutatio autem in postremis litteris ante subscriptionem collocari potest: vale, fac ut valeas, vale et amare me pergas, oro ut opera mea summa cum libertate utaris, iubebis meo nomine salvere fratrem tuum, patri tuo quam officiosissime ex me salutem dicito, offero tibi obsequia mea, felicia tibi Natalicia ex corde precor felicemque totum novi anni decursum, tui amantissimus, tui observantissimus.*

SCOL. E l'indirizzo della lettera come si scrive?

DISCIP. *Inscriptio autem epistulae quomodo scribitur?*

PROF. Si prepongono i titoli in caso dativo, sicchè saranno simigliantissimi a quelli italiani; e il resto va scritto in lingua italiana o meglio, se è possibile, nella lingua del paese, dove si manda la lettera.

MAG. *Epitheta in dativo casu praeponuntur, quare Italicis simillima erunt; reliqua autem scribenda sunt lingua Italica, aut, quod praestat, si fieri potest, lingua ipsa illius gentis, quo litterae mittuntur.*

SCOL. È la data va in cima o in fondo alla lettera?

PROF. È meglio scriverla in fine a sinistra.

SCOL. Il contare i giorni alla maniera degli antichi Romani porta via parecchio tempo: non si potrebbe mettere la data com'è nel nostro calendario?

PROF. Se colui, a cui viene mandata la lettera, è poco pratico della lingua latina, si può seguire il nostro calendario, e scrivere per es. *die vicesima nona mensis Octobris*; ma se sa bene il latino è preferibile seguir la maniera classica (*IV ante diem Calendas Novembres*).

SCOL. È come si traduce « dell'Era Fascista »?

PROF. Si traduce *a Fascibus restitutis, receptis o constitutis Fascibus*. Ed ora, che sapete tutte queste cose, scrivete una lettera in latino. Per scrivere una lettera in

DISCIP. *Dies autem adscribenda est in principio aut in fine epistulae?*

MAG. *Praestat scribi in postrema epistula, sinistra.*

DISCIP. *Dies numerare antiquorum Romanorum more nonnihil temporis absumit: non potest adscribi dies ut est in nostro calendario?*

MAG. *Si is, ad quem litterae mittuntur, parum est linguae Latinae peritus, possumus nostrum calendarium sequi, sed si linguam Latinam callet, potius est sequi rationem Romanorum (a. d. IV Cal. Nov.).*

DISCIP. *Quomodo autem redditur « dell'Era Fascista »?*

MAG. *Redditur a restitutis vel a receptis Fascibus vel a Fascibus constitutis. Et nunc cum haec omnia noveritis, aliquam epistulam Latine scribitote. Nam epistulam*

latino è cosa utilissima, specialmente per corrispondere con gli studenti e i dotti stranieri.

Latine posse scribere utilissima res est, praesertim ad communicandum cum scholasticis virisque doctis exterarum gentium.

II.

DISPOSIZIONE DELLE PAROLE È DELLE PROPOSIZIONI

(De compositione (1) verborum et sententiarum)

PROFESSORE. Prima dote dello stile sia parlando sia scrivendo è che non si facciano errori di grammatica, poi che si scelgano vocaboli puri ed appropriati ed in fine che si ordinino in modo da piacere all'udito. Giacchè, come dice Quintiliano, la natura ci porta all'armonia dei suoni. Che cosa mi sa dire, Angelucci, riguardo all'ordine delle parole nella proposizione?

MAGISTER. *Prima dicendi et scribendi laus est ut ne quid in re grammatica erratur, tum ut verba pura ac propria adhibeantur, postremo ita componantur, ut aures delectent. Nam, ut ait Quintilianus, «natura ducimur ad modos». Quid dicis, Angelucci, de ordine verborum in propositione?*

ANGELUCCI. La proposizione latina vuole in princi-

ANGELUCCI. *Propositio Latina verba maximi momenti*

(1) *Componere verba* è lo stesso che *verba simul ponere*, o piuttosto *ordine disponere, in ordinem redigere*: la *compositio* comprende anche le clausule.

pio ed in fine le parole di maggiore importanza; e poichè le parole di maggiore importanza in generale sono il soggetto e il predicato, se non si oppone qualche notevole motivo, il soggetto si colloca a principio, il predicato verbale o nominale alla fine ed i complementi in mezzo alla proposizione, i complementi del soggetto, se ve ne sono, accanto al soggetto, quelli del predicato avanti al predicato.

PROF. Se il verbo ha più specie di complementi, quali si pongono prima e quali dopo?

ANG. Si mette prima il complemento che ha maggior valore, per lo più il complemento oggetto, poi gli altri, che vanno tanto più vicino al predicato quanto più ne compiono l'idea. Per esempio: « Cesare ebbe in suo dominio tutta la Gallia; Serse, figlio di Dario, vinto nella battaglia di Salamina, tornò in Asia con la massima celerità ».

PROF. Può avvenire che si metta in principio ed in fine

in principio atque in fine requirit; cum autem verba maximi momenti ferme sint subiectum et praedicatum, nisi aliqua obstat causa, subiectum in ineunti, praedicatum verbale aut nominale in postrema, complementa in media propositione collocantur, complementa subiecti prope subiectum, complementa praedicali ante praedicatum.

MAG. *Si verbum complura hebet genera complementorum, quae prius et quae postea collocantur?*

ANG. *Prius collocatur complementum quod maximum pondus habet, plerumque complem. obiectum, postea alia, quae eo magis praedicato appropinquantur quo magis eius notionem vel significationem complent. Ut Caesar Galliam omnem in obsequio habuit; Xerxes, Darei filius, pugna Salaminia victus quam celerrime in Asiam revertit.*

MAG. *Potestne fieri ut initio atque in fine collocetur*

altra parola invece del soggetto e del predicato? Dica Santini.

SANTINI. Può avvenire tutte le volte che si attribuisce maggior importanza ad altra parola: per es.: « Cicerone lo proclamò console in competizione con Catilina tutto il popolo; egli venne non in quel giorno, ma il giorno dopo ».

PROF. Vi sono altre cose, di cui bisogna tener conto nella collocazione delle parole?

SANT. Sulla collocazione delle parole influiscono anche le così dette figure di parole, come l'iperbato, il chiasmo, l'anafora o ripetizione... L'antitesi ama di disporre le parole in modo che si corrispondano anche per la posizione: « paragonate questa pace con quella guerra, l'arrivo di questo pretore con la vittoria di quel generale ».

aliud verbum pro subiecto et praedicato? Dicit Santini.

SANTINI. *Fieri potest quotiescumque alii verbo maius pondus tribuitur, ut Cicero-nem universus populus ad-versus Catilinam consulem declaravit; ipse venit non eo die, sed postridie.*

MAG. *Suntne aliae res, quarum ratio habenda sit in collocandis verbis.*

SANT. *In collocandis verbis pondus habent etiam quae vocantur figurae vel conformationes verborum, ut hiperbaton vel traiectio (hic me dolor angit), chiasmus (fragile corpus est, animus sempiternus), anaphora vel repetitio... Antithesis autem vult ita verba componi, ut etiam sede contraria contrariis opponantur: conferte hanc pacem cum illo bello, huius praetoris adventum cum illius imperatoris victoria.*

PROF. Le proposizioni come in italiano così in latino seguono l'ordine dei pensieri, ma lo stile latino lega maggiormente i pensieri tra loro, subordina più spesso e fa un uso molto più frequente delle forme nominali del verbo: per es.: « il generale prese la città e la consegnò ai soldati, perchè la saccheggiassero ». Perciò si dice che la lingua latina è sintetica, la lingua italiana e le altre lingue moderne analitiche.

SANT. Però gli scrittori latini, almeno quelli che ho letti fin qui, non mi pare che leghino tutti le proposizioni allo stesso modo: Sallustio per esempio subordina meno di Cicerone ed è meno ridondante, ciò che pur si deve dire di Cesare e, se non erro, di Tacito e di Seneca il filosofo. Qual autore è meglio imitare?

PROF. I precetti, che si danno sullo stile, si riferiscono in generale all'esempio di Cicerone; e poichè Ci-

MAG. *Propositiones cum Italice tum Latine ordinem cogitationum sequuntur, sed oratio Latina magis inter se (1) cogitata devincit, saepius subiungit, multoque crebrius formis verborum nominalibus utitur: ut dux urbem captam militibus diripiendam tradidit. Itaque lingua Latina synthetica, Italica autem ceteraque recentiores analyticae esse dicuntur.*

SANT. *Scriptores tamen Latini, quos quidem adhuc legerim, non omnes eodem modo sententias vincire mihi videntur; Sallustius verbi gratia minus subiungit quam Cicero ac minus redundat, quod idem de Caesare et, nisi fallor, de Tacito ac de Seneca philosopho dicendum est. Quem auctorem praestat imitari?*

MAG. *Praecepta, quae de scribendi ratione traduntur, Ciceronis exemplum in universum respiciunt; et quo-*

(1) C. GIARRATANO, *Sintassi Latina* Vallecchi Editore, § 132, 2, nota 2; E. COCCHIA, *La Sintassi Latina*, Ed. Morano, p. 115, Avv. I.

cerone non trattò il genere storico, ma al suo stile in certo modo si accostò T. Livio, sembra che nel genere narrativo T. Livio sia l'autore da imitarsi. Questo dico per i principianti. Chi vuol seguire una via propria, deve proporsi l'imitazione di quell'autore, a cui si sente più simile per indole e che ama di più. Quando poi uno ha conseguito una certa facilità di scrivere in latino, deve seguire la sua propria inclinazione. Ma ritorniamo all'argomento. Che cosa è il periodo ed in che modo le proposizioni si ordinano nel periodo? Risponda Tesei.

TESEI. Il periodo, a cui Cicerone dà molti nomi, di giro o circuito di parole, complesso, unione o gruppo, è un insieme di parole, che danno un senso compiuto. Per quanto riguarda l'ordine delle proposizioni, la principale, almeno il suo predicato, tende a portarsi verso la fine del periodo; le secondarie, temporali, causali, condizionali, concessive e comparative, precedono la

niam Cicero historiam non attigit, sed huius orationi T. Livius quodam modo accessit, Livius in narratione imitandus videtur. Id autem pro tironibus dico. Qui suam vult ingredi viam, illum sibi imitandum proponat auctorem, cuius se maxime similem ingenio sentiat quemque maxime diligat. Cum autem quis aliquam scribendi Latine facilitatem adeptus est, suam ipse naturam sequatur. Sed ad propositum redeamus. Quid est periodus et quo modo propositiones in periodo ordinantur? Respondeat Thesei.

THESEI. *Periodus, cui plurima nomina dat Cicero, ambitum verborum vel circuitum, comprehensionem, continuationem, circumscriptionem, est complexio verborum, quae sensum concludit. Quod ad sententiarum ordinem attinet, propositio princeps, eius saltem praedictum, potius ad finem versus periodi fertur; secundariae temporales, causales, conditionales, comparativae, pro-*

principale, le consecutive, le finali e le interrogative indirette la seguono; le relative si pongono dopo il nome a cui si riferiscono, e quindi talora restano dentro la reggente, ma spesso la seguono. Esempi: « provvederò almeno alla vostra vita, giacchè non posso salvarmi insieme con voi; come la rondine viene d'estate e se ne va all'incalzar dell'inverno, così l'amico infedele ci sta vicino nella prosperità, e ci abbandona quando cambia la fortuna; Epaminonda sopportò con tanta indifferenza la povertà, che dallo stato non prese nulla tranne la gloria; bisogna sempre pensar ad una pace, che non ci serbi alcuna insidia ». Le proposizioni secondarie, che precedono di solito la principale, possono anche essere inserite nella principale medesima: per es. « lo stolto, anche se consegue ciò che desidera, tuttavia non crede mai d'aver ottenuto abbastanza ». Una proposizione secondaria, che dipenda da altra secondaria, per lo più si mette avanti ad essa:

positionem primariam praecedunt, consecutivae autem, finales, interrogativae subiunctivae primariam sequuntur; relativae denique post nomen, ad quod pertinent, collocantur, ideoque in propositione regenti interdum includuntur, sed eam saepe sequuntur. Exempla: quoniam me una vobiscum servare non possum, vestrae certe vitae prospiciam; ut hirundo aestate advolat, instante hieme avolat, sic infidus amicus rebus laetis praesto est, commutata fortuna nos deserit; Epaminondas paupertatem adeo facile perpessus est, ut de republica nihil praeter gloriam ceperit; paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. Enuntiata secundaria, quae propositionem principem plerumque praecedunt, possunt etiam in ipsam propositionem principem inseri: ut stultitia, etsi adeptus est quod concupivit, numquam se tamen satis consecutam putat. Propositio secundaria, quae ab alia secundaria dependat, ei plerumque praepositur: ut quid autem agatur cum aperuero, facile

« quando avrò posto in chiaro di che si tratta, vi sarà facile stabilire qual sentenza dovete pronunziare ». In fine, per usar le parole di Quintiliano, « si dovrà in generale costruire il periodo nello stesso modo in cui dovrà pronunziarsi ».

PROF. Bravo Tesei! Sieda. Forma perfettissima di periodo è il periodo oratorio di Cicerone. Il discorso viene pronunziato dall'oratore (da ogni oratore) quasi come un canto, di cui gli suona internamente l'armonia, che s'innalza specialmente davanti alle pause nelle così dette clausole. Che cosa sono la clausole? Lo dica Dini.

DINI. Le clausole sono terminazioni di proposizioni, di membri e di periodi, che da Cicerone e molti altri oratori latini e greci vengono costruite metricamente, consistono cioè in almeno due o tre piedi.

PROF. Quali piedi Cicerone usa di preferenza nelle clausole?

erit statuere quam sententiam dicatis. *Denique, ut Quintiliani verbis utar, « sic fere componendum quomodo pronuntiandum erit ».*

MAG. *Macte, Thesei! sed eas. Periodi perfectissima forma est ambitus oratorius Ciceronis. Oratio ab oratore (ab omni oratore) pronuntiat quasi cantus, cuius modi in animo sonant, et in iis quae dicuntur clausulae maxime extolluntur. Quid sunt clausulae? Dicat Dini.*

DINI. *Clausulae sunt terminationes propositionum, membrorum, periodorum, quae a Cicerone multisque aliis oratoribus et Latinis et Graecis metricè construuntur, silicet in duobus vel tribus pedibus consistunt.*

MAG. *Quibus pedibus Cicerone in clausulis maxime utitur?*

DINI. Le clausole metriche preferite da Cicerone sono il ditrocheo (*esse possit*), il cretico più trocheo o spondeo (*bella gesserunt*), il doppio cretico (*gloriam tradere*), il doppio spondeo (*commendatis*), il peonio primo più trocheo (*esse videatur*). Spesso il ditrocheo e il dispondeo sono preceduti da un cretico (-v-). Altre clausole, ma meno usate, sono il trocheo più cretico od ipodocmio, lo spondeo più cretico, il peone primo più cretico, il peone quarto più trocheo ecc.

DINI. *Clausulae, quas Cicero plurimum adhibet, sunt ditrochaeus (commoratur), creticus trochaeo vel spondeo adiuncto (bella gesserunt), dicreticus (posse defendere), dispondeus (Romanorum), paeon primus adiuncto trochaeo (esse videatur). Ditrochaeo ac dispondeo saepe creticus (-v-) praepōnitur. Aliae clausulae, sed minus frequentes, sunt trochaeus cum cretico sive hypodochmius, spondeus cum cretico, paeon primus cum cretico, paeon quartus cum trochaeo etc.*

APPENDICE

Saggio di versione poetica: dal Carducci
« Alle fonti del Clitunno »

Nunc quoque e clivis, ubi nigra ad auras
fraxinus leni trepidat susurro,
atque silvestres ubi late odores
aëra mulcent,

humido ad te deveniunt frequentes,
vespere, o Clitumne, greges; puerque
Umber illuctans pecus adfluenti
mersat in unda;

dum lare adsidens humili perusta
cantitat mater, cui pectus infans (1)
sorbet, et vultu facilis rotundo
plena renidet.

At gravis vultu pater et caprino
vellere, ut fauni veteres, recinctus,
pictum onus plaustrum regit et venustos
rite iuvencos,

quod boum candens genus, et quadrata
mole praestantes, placidos, recurva
cornua erectos Maro et ipse quondam
mitis amavit.

Fumidae at surgunt super alpe (2) nubes,
eque deflexis faciles in arcus

(1) Femminile: « una poppante ».

(2) Traduce « su l'Appennino »: cfr. « in Alpe Pennino », (Tab. Pentig. 3,5) = in Appennino.

montibus magna et gravis et virescens
Umbria spectat.

O virens salve Umbria, tuque puri
fontis, o Clitumne, deus! calemus
patria antiqua, Ausoniaeque divum
tangimur aura.

Ecquis induxit salicem comantem
fontibus sacris? rapiant revulsam
funditus nimbi, o muliebris arbor
curaque saeculi.

Obvia hic nimbis, et amica veris
stet nigra, arcanos memoretque fastos
aesculus, laetanti hedera et corymbis
corpus amicta.

Densa Clitumno caput exserenti
hic cohors adstent vigilum cupressi:
tuque fatales, deus, inter umbras,
concine voces.

Imperi o trini mihi pange (1) testis
veliti ut primum gravis Umber atrox
cesserit bellis, et Etrusca in armis
creverit aetas;

utque decurrens Cimino coactas
impiger Mavors superarit urbes,
fortium figens metuenda late
signa Quiritum.

Indiges sed tu deus et sequester
pacis, adiunxti (2) dominos subactis.
Vixque Poenorum Thrasimenus hausit
fulgura et iras,

(1) Canta, « dinne ».

(2) = adiunxisti.

hanc tuis fusam violenter antris
 buccinae vocem crepuere (1): « Tu qui
 nobiles Maevaniae ad ima cogis
 prata iuencos,

tuque, qui clivos subigis (2) sinistros
 Naris, et tu, qui virides Spoleti
 subruis silvas vel hymen Tudertes
 iungis ad aras,

pabula ingentesque boves relinque,
 linque et in sulcis vitulos, relinque
 ilice in prona cuneos, relinque
 coniugis aram,

et rape et curre et rue cum securi,
 curre cum clava, iaculis et hasta:
 advola! dirus patrios penates
 Hannibal urget ».

Dulce ut o risit superans amoena
 sol iuga haec circum viridesque valles (5),
 vidit ut Mauros Numidasque ab alta
 arce Spoletum

inter horrendos strepitus, et imbre
 ferreo ardentique oleo involutos
 terga per campos dare, dum triumphus
 aethera pulsat....

(L. GRAZIANI).

(1) Le trombe ritorte scagliarono questo grido per i tuoi antri e lo fecero echeggiare violentemente:

per gli antri tuoi salì grido, e la torta
 lo ripercosse buccina da i monti.

(2) ari.

(3) Costruisci: *O ut risit suaviter sol superans haec amoena iuga circum et virides valles:*

Deh come rise d'alma luce il sole
 per questa chiostra di bei monti, quando....

PARTE II
ESERCIZI E COMPOSIZIONI
(EXERCITATIONES ET COMMENTATIONES)

DEL PARLARE E DELLO SCRIVERE (1)

In cotesti medesimi esercizi, benchè sia utile anche il parlare spesso all'improvviso, tuttavia è più utile l'altro modo, parlare cioè con una certa preparazione ed accuratezza, prendendo tempo a pensare. È la cosa più importante è scrivere il più possibile. La penna è la migliore e la più efficace creatrice e maestra della parola; ed è ben naturale. Infatti se il discorrere improvvisato e casuale è senza dubbio inferiore al parlare meditato e pensato, questo stesso sarà certamente superato da una composizione scritta con cura assidua e diligente.

Tutti i tratti salienti, che il soggetto può fornire, siano essi dominio dell'arte, del genio o del gusto, se lo spirito si applica ad esaminarli e a meditarli con tutta la for-

In istis ipsis exercitationibus, etsi utile est etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. Caput autem est quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister; neque iniuria. Nam, si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit.

Omnes enim, sive artis sunt loci sive ingeni sive prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, aquirentibus nobis omnique acie ingeni contemplantibus ostendunt se et occurrunt; omnesque sententiae verbaque omnia, quae sunt cuiusque generis maxime illu-

(1) Non sarà inopportuno confrontare vol. I, p. 57 sg., *Del comporre in latino*.

za dell'ingegno, si svelano ai nostri sguardi e si presentano come da sè. Allora tutti i pensieri e tutte le espressioni più belle, che sono proprie di ciascun genere di componimento, vengono inevitabilmente a porsi sotto la penna da sè, le parole si dispongono in ordine ed i periodi si arrotondano non con l'armonia del linguaggio dei poeti, ma con quel ritmo che conviene all'eloquenza. Ecco ciò che nei grandi oratori eccita le acclamazioni e l'entusiasmo.

È nessuno otterrà simili effetti, anche se si eserciterà mille volte nelle declamazioni improvvisate, se non si sarà applicato molto e lungamente a scrivere. Chi poi dalla consuetudine di scrivere passa all'esercizio della parola, vi porta questo vantaggio, che, anche se parla estemporaneamente, tuttavia le cose che dice appaiono simili a quelle scritte; ed inoltre, se talvolta nel parlare userà qualche appunto scritto, quando se ne allontanerà, il resto del discorso continuerà con le medesime doti.

stria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est; tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poetico, sed quodam oratorio numero et modo. Haec sunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt.

Neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc adfert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa quae dicantur, similia scriptorum esse videantur; atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur.

(CICERONE).

A) PARAFRASI.

I. *Autobiografia di un poeta.*

Audiant posteri, ut sciant, quis fuerim ille ego, quem legunt, tener amorum poeta. Sulmo, oppidum gelidis aquis uberrimum, quod nonaginta milia passuum ab Urbe distat, mea patria est. Hic, ut tempus noverint, eo natus sum anno, quo uterque consul eadem morte cecidit. Si quid autem id est, usque a maioribus vetus ordinis equestris heres fui, non munere fortunae nuper factus eques. Nec primus natus sum, sed post fratrem, qui anno ante natus erat. Ambo eodem die nati sumus, ut noster natalis duobus libis celebraretur; hic autem dies est unus ex diebus festis armigeræ Minervæ, ille demum dies quinquatruum, quo primo ludi gladiatorii fieri solent (20 marzo).

Protinus a pueris excoli coepimus, atque a patre Romanam ad insignes litterarum doctores missi sumus. Frater meus, natus ad asperas iudiciorum contentiones, iam a prima aetate ad eloquentiam ferebatur, cum mihi etiam nunc puero sacrum poeticae munus placeret ac Musae furtim ad suum opus traherent. Pater mihi saepe dixit: « Cur studium inutile tentas? Considera Homerum ipsum nullas reliquisse divitias ». Quibus verbis ego quidem movebar, nitebarque, studio poeticae omnino relicto, soluta oratione scribere; sed carmen sua sponte ad pedes se accommodabat, et quae tentabam dicere, versus erant.

Interea, sensim labentibus annis, frater ac postea ego ipse togam virilem sumpsimus tunicaque laticlavia induti sumus, sed in utroque mansit studium quod ante fuerat. Iam frater viginti annos natus erat, cum mortuus est, atque ego parte mei ipsius carere coepi. Magistratus etiam inii inferiores, qui primi iuventuti deferuntur, et quondam fui triumvir (utrum monetalis an capitalis non

constat); sed cum in senatum lectus non sim, tunica augusticlavia sumenda fuit: illud onus maius erat quam quod ferre possem. Mihi enim nec patiens fuit corpus nec mens ad laborem idonea, sollicitamque ambitionem vitabam, et Musae suadebant, ut tutum otium poeticae peterem, quam semper amavissem.

Poetas illius aetatis tamquam deos colui et adamavi. Saepe mihi Aemilius Macer, admodum provectus aetate, suam Ornithogeniam et Theriaca legit; saepe mihi sua carmina amatoria recitavit Propertius, qui fuit mecum sodalitate coniunctus. Et Ponticus, clarus poemate heroico, et Bassus, clarus iambis, nostri convictus dulcia membra fuerunt; et nostras aures delectavit numerosus Horatius, dum Italica lyra culta modulatur carmina. Vergilium tantummodo vidi; neque a fati Tibullo adversis concessum est ut, huic essem amicus. Tibullus successor fuit Cornelio Gallo in carmine elegiaco, Tibullo autem Propertius: quartus ab his tempore ipse fui. Atque eo modo, quo ego colui maiores natu, minores me coluerunt, ac non sero mea poesis clara facta est.

Cum primum mea carmina in publico legi, semel vel bis mihi barba tonsa erat: meum moverat ingenium puella dicta ficto nomine Corinna, quam per totam Urbem celebravi. Multa quidem scripsi, sed quae putavi vitiosa, ipse igni dedi, ut emendaret. Tum quoque cum in exsilium profectus sum, meis studiis carminibusque iratus, quaedam combussi quae placere possent. Molle mihi pectus nec telis amoris inexpugnabile fuit, quodque vel levissima causa moveret; cum tamen talis essem minimaque flamma accenderer, nulla unquam infamia nomen meum flagravit...

Ubi pater meus, nonaginta annis peractis, fatalem vitam finivit, non aliter flevi quam me ipse, si mortuus essem, fleturus fuit; ac paulo post matri iusta exsequiarum feci. Felices ambo ac tempestive mortuos, quia ante

meum exsilium e vita excesserunt; me quoque felicem, quod carissimi parentes meam miseriam non viderunt neque quidquam pro me doluerunt. At si quid exstinctorum praeter nomina superest, ac tenuis umbra rogi flammam effugit, si, meorum animae parentum, ad vos mei fama pervenit, scite, precor (nec vos mihi fallere licet), exsilio errorem, non scelus, fuisse causam.

Hoc satis sit Manibus: ad vos revertor, studiosi lectores, qui acta meae quaeritis vitae. Iam ego, praeteritis melioribus annis, canus factus eram, iamque annos quinquaginta compleveram, cum ira laesi principis me iubet abire Tomos, positos in sinistro litore maris Euxini. Causa meae calamitatis, omnibus vel nimis nota, non est meis verbis testificanda. Quid referam comitum scelera et nocentes familiares? Hoc tantum dicam, multa non leviora ipso exsilio ferenda mihi fuisse. Animus tamen meus indignatus est tot malis succumbere, suisque viribus usus se invictum praestitit. Oblitusque mei et vitae, quam per otium duxeram, arma quae tempus monebat arripui. Tandem, actus longis erroribus, oram tetigi Sarmaticam, quae pharetratis Getis finitima est. Atque hic, quamvis circa sonant arma barbarorum, carminibus, ut possum, triste meum lenio fatum.

(Cfr. OVIDIO, *Tristium* IV, 10).

2. *Incontro di Enea con Venere nel suolo africano.*

Sed Aeneas, cum nocte plurima cogitavisset, ubi primum lux orta est, statuit exire et explorare nova loca et quaerere quibus oris vento impulsus appulerit, qui obtineant, hominesne an ferae (nam incultas videt), et sociis referre explorata.

Itaque classem in curvo litore sub concava rupe inter nemora et arborum nigrantem umbram abscondit; ipse proficiscitur uno comitatus ab Achate, fertque manu duo

iacula latis cuspidibus armata. Cui in media silva obviam venit Venus genetrix, vultum habitumque ferens virginis et virginis arma vel Spartanæ vel Threissæ, qualis est Harpalyce, cum equos cursu fatigat et rapidum Hebrum vincit celeritate. Namque more venatricis arcum umeris commode gerebat, dederatque comam vento diffundendam ac, nudis genibus, sinus vestis diffluentes cingulo collegerat. Et prior « Heus, iuvenes, monstrate, inquit, si quam mearum sororum hac errantem forte vidistis, instructam pharetra et pelle maculosæ lyncis, aut spumantem aprum cum clamore insequentem ».

Sic Venus ait, Venerisque filius ita respondit: « Nulla tuarum sororum a me nec audita nec visa est, o... quam te appellem, virgo? Non enim tibi mortalis est cultus nec vox tua vox est humana. O dea certe, an Phoebi sorores, an una e genere nympharum? Esto propitia, et, quaecumque es, nostros minue labores, ac doce, quo demum sub caelo, qua in regione terrarum versemur: namque erramus hominum locorumque nescii, huc vento et magnis acti procellis. Multae tibi victimae ante aras nostra dextra immolabuntur ».

Tum Venus: « Haud equidem tali honore me iudico dignam: mos est puellarum Tyriarum pharetram gerere ac tibias purpureis ocreis alte vincire. Regio, quam vides, regnum est Punicum, Tyrii sunt incolae, Phoenicia est urbs; sed fines circa Libyci et gens asperrima bello. Regnum obtinet Tyria Dido, quae domo profecta est fratremque fugit... Sed vos quinam denique estis, aut qua ex terra profecti, vel quo iter facitis? ».

Aeneas ex imo corde suspiria ducens interroganti his verbis respondit: « O dea, si omnia narrem a prima origine repetens et tibi otium sit audiendi nostrarum calamitatum historiam, prius Vesper claudat Olympum diemque componat.

Nos veterem Troia, si Troiae nomen ad vestras aures forte

pervenit, diversa per maria vectos tempestas ad oras Libycas fato proiecit. Sum pius Aeneas, fama super caelum cognitus, qui mecum penates fero raptos ex mediis hostibus. Italiam patriam quaero et genus familiae meae, quae a summo Iove est. Mare Phrygium viginti navibus conscendi, et matre dea monstrante iter data fata secutus sum: vix septem naves supersunt fluctibus et vento concussae. Ipse ego ignotus, egenus erro per solitudines Africae, Europa atque Asia expulsus ».

Nec Venus eum plura queri passa est, medioque in eius dolore sic est locuta: « Quisquis es, haud invisus caelestibus, credo, spiritum vitalem ducis, qui ad urbem Tyriam adveneris. Sed perge, atque te confer ad limen regiae. Nam tibi nuntio socios redisse et naves, mutatis ventis, relatas atque in tutum esse pervectas, nisi me vani parentes artem auspicioꝝ frustra docuerunt. Aspice laeto agmine duodecim cycnos, quos aquila ex aetherea plaga lapsa agitabat in aperto caelo: nunc longa serie videntur aut capere terram aut iam ut captam considerare. Quemadmodum illi redeuntes alis strepentibus ludunt, et aëra turmatim circumierunt canentes, haud aliter naves tuae et iuventus tuorum aut portum occupat aut plenis velis portus ostium ingreditur. Nunc perge, et dirige passus qua te via ducit ».

Sic locuta est, et discedens splenduit pulchra cervice, et capilli ambrosia delibuti divinum odorem e capite diffuderunt: vestis ad pedes defluxit, et vera dea gressu apparuit. Aeneas, ubi matrem agnovit, his verbis abeuntem prosecutus est: « Cur filium, tu quoque crudelis, tam saepe vanis decipis visibus? Cur non permittitur dextram dextrae coniungere et audire et respondere verba non simulata? » Sic de matre queritur, atque iter ad urbem dirigit (Cfr. VIRGILIO, *Eneide*, lib. I, 305 sgg.).

3. *Educazione paterna.*

Si mea indoles, parvis et paucis vitiis mendosa, de cetero proba est, tamquam si naevi sparsi in formoso corpore reprehendendi sint, si neque sordidam cupiditatem neque impura ganea poterit quisquam mihi vere obicere, si, ut me ipse laudem, vivo integer et innocens et carus amicis, haec omnia debeo patri meo, qui, etsi pauper cum macro agello, noluit me mittere in ludum Flavi grammatae, quo clari filii magnorum centurionum ibant, brachio sinistro ferentes loculos tabulamque ceratam, atque octonos asses magistro idibus pendebant; sed ausus est filium Roman portare, ut iis artibus institueretur, quibus filios suos quilibet eques et senator erudiendos curat. Et si quis considerasset meam vestem et famulos sequentes, ut mos est magna in urbe, facile credidisset illas impensas ex avorum divitiis mihi suppeditari. Ipse mihi custos integerrimus apud omnes praeceptores comitabatur. Quid multa dicam? Me purum, id quod est primum virtutis ornamentum, ab omni non modo facto sed etiam turpi suspitione servavit, nec timuit ne quis sibi crimini verteret, si olim praeco aut coactor, ut ipse fuit, exiguam mercedem sectaturus fuisset. Neque ego conquestus essem; immo nunc illi a me debetur maior et laus et gratia.

Quoad sanus ero, numquam me patris huius paeniteat; et ideo non sic me defendam ut magna pars hominum, qui negant sua culpa accidisse quod ingenuos et claros parentes sortiti non sint. Multam ab istis mea discrepat oratio et iudicium. Enimvero, si natura iuberet vitam peractam a certo numero annorum iterare et alios parentes quoscumque quisque vellet, pro ambitione legere, ego, contentus meis parentibus, nollem sumere alios fascibus sellisque curulibus honestos; quod faciens, insanus iudicio plebis, sapiens fortasse essem tuo, cum molestum onus,

ad id minime assuetus, ferre recusarem. Nam mihi statim quaerendae essent maiores divitiae, et plures homines salutandi, et sumendus unus vel alter comes, ne solus rus me conferrem vel iter facerem, et complures famuli atque equi nutriendi et raedae regendae....

Nunc ambulo solus quacumque placet, quaero quanti veneat holus et frumentum, saepe erro per fallacem circum et vespere per vacuum forum, adsisto audiens hariolos; hinc redeo domum ad cenam, quae porro, cicere laganoque constat. Cenanti mihi tres pueri famulantur: mensa autem est lapis albus, qui duo pocula cum cyatho sustinet; prope est vilis echinus et guttus cum patera, omnia supellex Campana. Deinde eo dormitum, non anxius quod postera die multo mane surgendum sit atque, vedimoni causa, ad Marsyam eundum, qui ait iam vultum minoris Noviorum se ferre non posse.

Iaceo usque ad quartam horam diei; deinde ambulo, aut, postquam legi vel scripsi tacitus quae me delectarent, ungor oleo, sed non eo quod immundus Natta lucernis subducit. Cum autem sol ardentior me monet ut lavatum eam, Campum Martium fugio lusumque pilae trigonalis. Pransus modice, quantum impediatur ne sim vacuo ventre per integram diem, otior domi. Haec est vita eorum, qui misera et molesta ambitione liberi sunt; hoc modo me spero victurum esse feliciter quam si avus et pater et patruus meus quaestor fuisset (Cfr. ORAZIO, *Satire*, lib. I, 6, 65 sgg.).

B) RIASSUNTI.

I. *Aeneidos librorum argumenta.*

I. Propositione praemissa Musaque invocata, poeta lectorem rapit in medias res, narrationem exordiens a septimo migrationis anno, cum Troianis e Sicilia in Italiam navigantibus Iuno, sibi Aeolo conciliato, magnam

tempestatem excitat navesque proturbatas Africam versus impellit. Neptunus undas coercet, atque Aeneas septem cum navibus, ceteris alio disiectis, in portum Africae se recipit sociosque confirmat. Venus interea fli calamitatem queritur apud Iovem, qui eam solatur exposita Aeneae suorumque futura prospetitate, et Mercurium Carthaginem mittit, ut nova urbs « pateat hospitio Teucris ». Venus ipsi Aeneae cum Achate regionem exploranti puellae habitu venatricis occurrit, indicataque Didonis et gentis condicione, ut Carthaginem eat persuadet. Quo cum nobula saeptus ingressus esset, in magnifico Iunonis templo belli Troiani facinora picta admiratur; mox Didonem venientem conspicit, deinde socios, quos fluctibus oppresos putavisset, reginam Ilioneo duce supplices adeuntes. Tunc dat se in conspectum Aeneas, et a Didone benigne accipitur, quae in regiam ducit, conviviumque iubet parari. Aeneas per Achatem Ascanium cum donis arcessit, sed Veneris dolo Cupido Ascani speciem induit, ut in regina amorem accendat Aeneae.

II. Dum cena per noctem producitur, Aeneas iussu reginae excidium Troiae suosque narrat errores. Graeci, decennali bello defessi, profectionem simulant, ingenti equo ligneo in litore relicto, quem fortissimis viris compleverant. Troianis equum mirantibus, ducitur ad Priamum Sinon captivus, qui se inimicum Ulixis omniumque Graecorum asseverat, equum autem illum Graecos Minervae statuuisse, qui si intra moenia feratur, saluti ac tutelae urbi futurum. His fallacibus verbis fidem faciunt duo serpentes, qui Laocoontem sacerdotem, equo infestum, ad aram corripunt atque una cum filiis interficiunt. Quamobrem Troiani equum magno cum studio in urbem inducunt; sed noctu Graeci ex equi utero erumpunt, et, redeunte classe, quae post Tenedum latuerat, tota urbs ferro et igne vastatur. Aeneas in omnis ab Hectore mo-

netur, ut sibi ac Troiae penetibus fuga consulat, sed mortem fugae anteponens, coacta manu, aliquot Graecos interficit, hostiumque sumptis armis, Aiace Cassandram auferentem aggreditur, sed hostium suorumque telis paene obruitur. Tum vastata regia ac Priamo ipso Pyrrhi manu necato, Aeneas mortem quaerens Helenam in aede Vestae latentem conspicit et occidere vult, sed Veneris monitu temperat ab ira ac domum redit, ut suis consulat. Non vult Anchises domum patriamque deserere, sed prodigiis motus filio obsequitur. Qui sacra penatesque patri committit, eumque suis umeris imponit, et una cum Ascanio filio Creusaque uxore capit fugam. Dum properant ad templum Cereris extra urbem, Creusa devertit, atque Aeneas iter ad quaerendam amissam uxorem relegit: obvia occurrit umbra uxoris, quae ait se a Cybele in Phrygia detineri hortaturque ut ad sedes fato pergat destinatas.

III. - Post Ilium deletum Aeneas classe viginti navium ad Antandrum aedificata in Thraciam pervenit, ubi cum urbem conderet, voce Polydori permotus, a Polymnestore rege interempti, eius exsequias rite peragit, et illam terram deserit, Delumque petit, ut Apollinem consulat. A deo monitus ut antiquam matrem quaereret, auctore Anchise Cretam navigat, et ibi quoque urbem condere incipit, sed peste agitated, monitus in somno a diis penetibus in Italia ortum esse Dardanum, a quo Troianorum genus, classe proficiscitur. Sed actus tempestate ad Strophadas insulas, infestas habet Harpyias, quarum una, Celaeno, pronuntiat Troianos in Italia sedes non posituros antequam fame mensas consumpserint. Hinc ad Actium promunturium delatus, ludos in Apollinem celebrat; tum in Epirum venit, ubi Andromacham Helenumque Buthroti regnantes reperit, qui magna caritate eum sociosque excipiunt; atque ab Heleno rege eodemque vate audit sedem

in Italia sibi destinata esse eo loco, ubi suam albam triginta fetus enixam invenerit. Deinde, muneribus datis acceptisque, Aeneas, Heleni praecepta secutus, ne in proximo Italiae litore considat Siculumque vitet fretum, Hydruntum praetervehitur Siciliaeque partem Aetnae proximam, sedem Cyclopum, ubi supplicem recipit Achemenidem, Ulixis iam socium. Quo itineris duce, legens meridianum Siciliae litus, Drepanum pervenit; sed hic pater Anchises, tot ereptus periculis, moritur, atque hinc Aeneas digrediens tempestate in Africam appulsus est.

IV. In pulcherrimo libro quarto poeta narrat, Didonem, iam Aeneae amore accensam, sublatis mensis, quiescere non potuisse atque suas patefecisse curas Annae sorori, cuius consilio ad nuptias animum convertisse. Iuno autem ut Aenean ab Italia avertat, agit cum Venere de conciliando matrimonio. Fit igitur venatio, orta que Iunonis artificio procella, Aeneas ac Dido in antrum confugiunt, ibique infaustum coniugium perficitur. Cuius rei certior factus Iarbas, Getulorum rex ac Didonis procus, Iovi supplicatur et graviter sibi advenam praeferrere queritur. Iuppiter Mercurium ad Aeneam mittit, qui eum de fatis moneat atque in Italiam proficisci iubeat. Itaque Aeneas clam profectionem parat. Quod suspicata Dido precibus lacrimisque eum a proposito deterriere conatur. Sed dux Troianus, iterum a Mercurio monitus, naves solvit, ac regina, Anna sorore decepta, rogam instruit, atque Aeneae perniciem aeternumque odium inter suum eiusque populum imprecata, gladio ipso, quod ab Aenea munus acceperat, vitam abrumpit.

V. Aeneas ex Africa in Italiam navigans procella cogitur ad Siciliam appellere, ubi ab Aceste benigne excipitur. Et a morte patris iam anno peracto, sacrum anniversarium facit Anchisae ad tumulum, ludosque funebres

propositis praemiis celebrat, cursum navalem, cursum pedestrem, pugillatum, sagittarum certamen, ludum Troiae, equestrem scilicet decursionem, cui praeest Ascanius. Interea Troianae mulieres, Iunonis dolo ac taedio navigationis, naves incendunt, quarum quattuor igne absuntur, ceterae immisso a Iove igne servantur. Nautes auctor fit Aeneae ut fortem iuventutem in Italiam ducat, senes vero et matres et quidquid invalidum est in Sicilia reliquat, quod idem in somno filio persuadet Anchises, hortatus quoque, ut, cum in Italiam pervenerit, Sibyllam adeat. Paret Aeneas, et condita in Sicilia urbe Acesta, naves in Italiam solvit; sed in cursu Palinurus, navis gubernator, a Somno oppressus in mare deicitur.

VI. Ad Cumanam oram Aeneas appellit, ac templum in arce contemplatus antrum petit Sibyllae, atque eam de futuris rebus deque descensu ad inferos consulit. Cui Sibylla respondet, eum bellum gravissimum in Italia gesturum, ut autem inferos adire possit, ramum aureum exquirendum esse, munus Proserpinae debitum, et unum ex amicis interim peremptum sepeliendum. Ad suos rediens Aeneas mortuum reperit Misenum, cuius extruendo rogo dum caeditur silva, columbae, a Venere missae, Troianum ducem ad aureum ramum adducunt. Miseno igitur sepulto, inferorum deos nocturnis sacrificiis veneratus, Aeneas comitante Sibylla per Avernum antrum in sedes mortuorum descendit, atque ad Acheronta flumen pervenit, ubi videt a flumine depelli animas eorum, qui humati non sint, in his Palinurum, qui suas narrat calamitates. Charon portitor aureo ramo conspecto officiosus fit, eiusque rate Acherontem paludemque Stygiam transgressus, Cerbero per Sibyllam offa sopito, ingreditur in « lugentès campos », videtque infantium animas, homines iniusta morte damnatos, suapte manu peremptos, amatores, in quibus Didonem, bellatores, in quibus

Deiphobum aliosque duces. Hic Sibylla monet viam in duas partes dividi, quarum dextra ducit in campos Elysios, sinistra in Tartarum, impiorum sedem, quo ire non licet; quare, dextrum iter secutus, ramum aureum offert Proserpinae, unaque cum Sibylla in laetam beatorum sedem admittitur. Musaeus poeta, precante Sibylla, Aeneam ducit per iugum in vallem lethaeam, ubi Anchises animas futurorum nepotum recensebat; qui filium conspicatus magno cum gaudio alloquitur, eique clarissimum quemque Romanorum usque ad Augustum ostendit. Denique, beatorum sede perlustrata, Aeneas eburnea somniorum porta ad suos redit, et ad Caietae portum navigat.

VII. Ibi autem Caieta nutrice sepulta, naves solvit, Circaeumque montem, Circae sedem praetergressus, ad ostia Tiberis pervenit, atque in Latium descendit, ubi regnat Latinus, cuius filia Lavinia, ab Amata Turno Rutulorum regi desponsa, prodigiis ac Fani oraculo externo marito destinatur. Epulis in ripa super quadras apparatus, iuventus Troiana etiam mensas comedit; quare Aeneas antiquam matrem sedemque sibi concessam agnoscit, legatosque Laurentum ad Latinum regem mittit. Qui Aeneam non modo socium sed etiam generum accipit. Sed Iuno, prosperis Troianorum rebus invidens, Allecto, furiarum unam, ab inferis evocat, quae Amatam reginam in advenas concitat, Turnumque ad bellum impellit. Interim vulnerato per Ascanium cervo, qui Tyrrhi pastoris regii filiae erat in deliciis, agricolae in Troianos impetum faciunt. Bellum undique quaeritur; ac Iuno ipsa belli portas aperit. Adventant ducentes auxilia Mezentius Laususque filius cum Agyllinis, Catillus Corasque cum Tiburtinis, Caeculus cum Praenestinis, Messapus, Clausus, Halaesus, Oebalus, Ufens, Umbro, Virbius, Camilla Volscorum regina.

VIII. Belli signo sublato, Venulus ad Diomedem mittitur petitum auxilium. Aeneas autem, monitu Tiberini numinis, alba sue mactata, per Tiberim fluvium navi ad Evandrum advchitur, qui ex Arcadia profugus in Palatino monte consederat. Evander, tum sacris Herculis peragendis intentus, Aeneam laeto animo accipit, sacrorumque originem docet, victoriam videlicet Herculis contra Cacum, semiferum regionis praedonem, quem propter ereptas boves oppresserit. Sacro deinde peracto, Evander Aeneam in humilem regiam ducit, atque in itinere loca ostendit, ubi Roma esset futura. Postridie foedus cum Aenea paciscitur, et monet ut Tyrrhenos adeat, qui, Mezentio tyranno expulso, externum ducem exspectarent, eique subsidium dat quadringentorum equitum, cui Pallantem filium praeficit. Aeneas, navibus ad suos flumine remissis, in Etruriam cum Pallante proficiscitur; atque in luco apud Caere a Venere matre accipit arma a Vulcano fabricata, in quibus eminet clipeus rebus caelatus, quae Romanis ab origine urbis ad Actiacam victoriam gerendae essent.

IX. Aenea absente, Turnus novae Troiae munimenta adoritur, Troianisque ex Aeneae praecepto in aciem non egredientibus, eorum naves incendere parat, quae, cum Idaeae silvae ligno fabricatae essent, a Cybele in nymphas mutantur. Insequenti nocte, dum vigiliae circa vallum excubant, Nisus atque Euryalus consilium ineunt ire per castra hostium ad revocandum Aeneam, et Troianorum senioribus propositum exponunt. Quo consilio probato, duo nobiles illi adulescentes ab Ascanio laudati proficiscuntur, atque in hostium castra noctu ingressi, magnam Rutulorum stragem edunt, spoliisque onusti iter pergunt. Sed in equitum Latinorum turmam incidunt, ac, dum fugiunt, Euryalus circumdatur, Nisusque reversus, ut amico auxiliaretur, una cum eo, sed non inultus, interfi-

citur. Quorum capita hastis infixæ in castra referuntur, atque Troianis conspecta magnum luctum excitant, praesertim Euryali matri, quae miserabili lamentatione conqueritur. Rutuli oppugnationem renovant, et magna fit utrimque caedes: Ascanius Numanum insolenter illudentem sagitta configit; Pandarus et Bitias portam aperiunt multosque Rutulos caedunt, sed interficiuntur a Turno. Qui intra muros ingressus multos Troianos necat, sed, undique circumventus, paulatim pedem refert, atque in Tiberim desiliens natando redit ad suos.

X. Iuppiter, deorum concilio convocato, queritur deos hominum contentiones concitare, auditisque Veneris et Iunonis querelis, cursum fati permittendum esse pronuntiat. Aeneas autem, aliquot diebus in Etruria consumptis auxiliisque coactis, classe triginta navium ad suos proficiscitur, atque in itinere ab una ex nymphis, in quas eius naves a Cybele conversae erant, de suorum periculo certior factus, navigationem accelerat, ac prima luce exercitum exponit. Accurrunt Rutuli, atque in litore ac circa Troianorum castra acriter pugnatur: Turnus strenuum Pallantem interficit, Aeneas, Turnum quaerens a Iunone per dolum amotum, magnum Rutulorum caedit numerum, et Mezentium vulnerat, et Lausum, eius filium patri succedentem, invitus transfigit. Tunc Mezentius, aeger vulneribus ac dolore, contra Aenean revertitur mortemque oppetit.

XI. Postero die Aeneas victor, tropaeo de spoliis Mezentii statuto, Pallanti maesta oratione laudato iusta magnifice persolvit, et miserabile corpus funebri cum pompa mittit ad Pallanteum, ubi magno luctu ad Arcadibus atque ab Evandro patre excipitur. Interea duodecim dierum indutiae fiunt sepeliendis mortuis, et ex urbe Diomedis redeunt legati ac referunt nullum inde futurum auxilium.

Quare Latinus rex in contione censet ut Aeneae legati de pace mittantur, et Drances Turnum belli auctorem conviciis incessit, quae animosus dux acriter refellit, se paratum professus singulari certamine cum Aenea bellum dirimere. His ita contendentibus nuntiatur Troianorum equites per planitiem atque Aenean cum peditatu per iuga collium Laurento appropinquare. Turnus in bellum se proripit, Camillam et Messapum cum equitatu hostium equitibus opponit, ipse ceteris copiis montis angustias occupat. Diana interim, Camillae necem praevidens, nympham Opim e caelo dimittit, quae eius interfectorem puniat. Proelio autem equestri commisso, Camilla ab Arunte, Aruns ab Opi occiditur. Camillae nece turbati Volsci ac Rutuli terga vertunt; cuius nuntio calamitatis accepto, Turnus suis auxilio accurrit. Subsequitur Aeneas, iamque imminente nocte uterque dux ante oppidum castra ponit.

XII. Turnus, iam pugnando fractis Latinis, instat ut singulari certamine bellum finiatur; atque, adnuente Aenea, condiciones pugnae sollemni sacramento sanciuntur. Sed Iuturna, Turni soror, Iunonis impulsu Rutulos concitat, ut foedus turbent, primusque Tolumnius augur telum in Troianos conicit. Ex quo subito proelium accenditur, atque Aeneas sagitta vulneratus acie excedere cogitur, dum Turnus insultans magnam Troianorum edit stragem. Venus ipsa dictamno Cretensi vulnus sanat Aeneae, qui in pugnam redit, ac Turnum quaerens saevit in hostes. Cum autem Iuturna ab occurso Aeneae dolo fratrem distineret, Troianus heros contra urbem impetum convertit. Quamobrem Amata, Turnum rata interfectum esse, vitam suspendio finit. Turnus denique, periculo urbis permotus, in subsidium fuit, et singulare poscit certamen. Dum Turnus atque Aeneas inter se pugnant, Iuppiter ac Iuno in caelo Troianorum Latino-

rumque societatem coniungunt; iamque Aeneas victor, Turni precibus flectitur, sed, in eius umero Pallantis balteum conspicatus, hostem gladio transfigit.

2. *Summarium librorum Ciceronis « de officiis ».*

M. Tullius Cicero « de officiis » scripsit altera parte anni XLIV ante C. n. Graecos auctores ac potissimum Panaetium secutus; atque hanc materiam tribus libris pertractavit, quos misit ad Marcum filium, qui Athenis philosophiae operam dabat. I. Ac primo libro, praemisso prooemio, quo filium hortatur, ut non modo in philosophia, sed etiam in dicendi exercitatione exemplaria Latina cum Graecis semper coniungat, exponit consilium aliquid ad filium scribendi de officiis, atque officii definitionem Graecos secutus praemittit, qui sic « definiunt, ut, rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant, medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit ».

Deinde, omni disputatione in quinque partes divisa, dicit disserendum esse primum de honesto, tum de honesti comparatione, tertium de utili, quartum de utilis comparatione, denique de honesti atque utilis contentione. Libro igitur primo Cicero de honesto agit, et, explicata honesti natura, hanc materiam in quattuor partes dividit, quae sunt de sapientia, iustitia, fortitudine, temperantia. Mox de his amplius dicit, de sapientia sive inveniendi veri prudentia (cap. 6, § 18-19), tum de iustitia et beneficentia (capp. 7-18, § 20-60), deinde de fortitudine (capp. 18-26, § 61-92), denique de temperantia et decoro, quod est cum ea coniunctum (capp. 27-42, § 93-151). Honesti comparatione (capp. 43-45, § 152-160) liber concluditur.

II. Huius libri prooemio Cicero breviter docet cur se ad philosophiam converterit, et, rationem Academicam secutus, de officiis praecipiat. Tum de argumento libri secundi disserit, id est de utili, quod negat ab honestate posse seiungi. Nihil autem utilius aut nocentius hominibus esse dicit quam ipsos homines, ideoque conciliandos esse animos hominum et ad nostros usus adiungendos virtute servata. Et causas enumerat, quibus homines hominibus inserviant, benevolentiam, admirationem, commoda accepta vel accipienda. Deinde singillatim de benevolentia disputat ac de metu eius contrario, tum de gloria et quibus rebus haec paretur (capp. 9-14, § 31-51), de beneficentia ac de liberalitate (capp. 15-24, § 52-85), de valetudine et pecunia (24, § 86-87), utilitatum denique comparationem instituit (25, § 88-90).

III. De oti sui ratione in prooemio locutus filiumque ad studia colenda hortatus, restare ait Tullius tertium quaestionis suae locum, omissum a Panaetio, de contentione honestatis et utilitatis (2, § 7-10). Qui locus quamvis dubitari possit num hic tractandus sit, cum honestum quod sit numquam cum utili pugnare posse videatur (nihil enim esse utile quod non sit idem honestum), tamen apparere dicit Panaetium hanc materiam tractare voluisse (capp. 3-7, § 11-34). Cum autem interdum aliqua species utilitatis offerri possit quae cum honestate pugnare videatur, hunc locum explanare vult, et explicare universam naturam utilitatis, quae cum turpitudine esse non possit (capp. 8-9, § 35-39); tamen concedit interdum propter speciem falsae utilitatis non solum in rebus privatis, sed etiam in publicis de utilitate et honestate posse titubari (capp. 10-11, § 40-49). Itaque primum de contentione utilitatis, quae prudentia videri possit, cum iustitia (capp. 12-25, § 50-96), postea de contentione utilitatis cum fortitudine (capp. 26-32, § 91-115), denique

de contentione utilitatis cum temperantia (33, § 116-120), conspicuis cuiusque rei exemplis propositis, disserit, brevique epilogo (§ 121) quaestionem concludit.

C) RIDUZIONI E IMITAZIONI

1. *Cinque traditori*

Fuerunt in nostra caterva quinque fratres Aethiopes, quorum pater vici magister fuerat, singulari virtute homines, qui non modo apud ductorem catervae, sed etiam apud chiliarcum magno erant in honore. Hi, freti amicitia praefectorum Italicorum et stulta ac barbara arrogantia elati, despiciebant suos, stipendiumque militum fraudabant, et praedam omnem domum avertabant. Quibus rebus milites permoti universi praefectum adierunt, palamque de eorum iniuriis sunt questi, et ad cetera addiderunt, falsum ab his militum numerum deferri, quorum stipendium sibi sumerent. Praefectus catervae rem ad chiliarchum retulit, qui, neque tempus illud animadversionis esse existimans et multum virtuti eorum concedens, rem totam distulit; sed illos secreto castigavit, quod quaestui milites haberent, monuitque ne quidquam iam simile admitterent.

Magnam haec res illis offensionem et contemptionem apud omnes attulit, idque ita esse cum ex aliorum obiectionibus tum ex animi conscientia intellegebant. Itaque, pudore adducti et fortasse se non liberari, sed in aliud tempus reservari arbitrati, discedere a nobis et novam tentare fortunam novasque amicitias experiri constituerunt. Et cum paucis collocti clientibus suis quam maximas potuerunt pecunias mutuati sunt, proinde ac si suis satisfacere et fraudata restituere vellent, atque ad hostes noctu transierunt cum iis, quos sui consili parti-

cipes habebant. Nonnullis autem post diebus in chiliarchum per silvam agmini praeuntem occulto loco tela converterunt eiusque calonem interfecerunt, sed mydrobolis petiti fugere coacti sunt, multumque sanguinis in itinere reliquerunt.

(Da CESARE).

2. *Iuvenis fatalis dux*

P. Cornelius Scipio, qui postea ob egregiam de Hannibale Poenisque victoriam Africanus est appellatus, etiam tunc pubescens patrem vulneratum ad Ticinum servavit. Cum autem post cladem Cannensem una cum primoribus Canusi de summa rerum deliberaret, audivit nobiles iuvenes quosdam, quorum principem esse L. Caecilium Metellum, mare ac naves spectare, ut Italiam desererent. Atque ilico Scipio iuvenis, fatalis dux huiusce belli, non consultandum ait in tanto malo, sed agendum esse: secum irent armati, qui salvam rempublicam velent; perrexitque in hospitium Metelli. Et cum concilium ibi iuvenum, de quibus allatum erat, invenisset, stricto super capita consultantium gladio: « Ex mei animi sententia », inquit, « iuro me rempublicam non deserturum neque alium civem Romanum deserere passurum: si sciens fallo, tum me Iuppiter optimus maximus, domum, familiam remque meam pessimo leto adficiat. In haec verba, L. Caecili, iures postulo, ceterique qui adestis: qui non iuraverit, in se hunc gladium strictum esse sciat ». Haud secus pavidi, quam si victorem Hannibalem cererent, iuraverunt omnes custodiendosque semet ipsos Scipioni tradiderunt.

Idem sex annis post, cum proconsuli in Hispaniam creando comitia haberentur, neque quisquam nomen profiteretur, incertaque esset civitas quem deligeret in peri-

culosam provinciam, ubi duo summi imperatores intra dies triginta cecidissent omnesque iam fremerent adeo perditas res esse, ut nemo in Hispaniam imperium accipere auderet, iuvenis viginti quattuor ferme annorum subito professus est se petere imperium, et in superiore loco constitit, unde conspici posset. In quem postquam omnes ora converterunt, agnoveruntque filium P. Corneli, qui in Hispania ceciderat, clamore et studio felix faustumque imperium ominati sunt. Iussi deinde inire suffragium ad unum omnes P. Scipioni imperium in Hispania decreverunt. Ceterum post rem actam, ut iam resederat impetus ardorque animorum, silentium subito ortum est et tacita cogitatio, quidnam egissent, nonne gratia plus valisset quam ratio: aetatis maxime paenitebat; quidam fortunam etiam domus horrebant et nomen proficiscentis in eam provinciam, ubi inter sepulcra patris patruisque res gerendae essent. Quam ubi sollicitudinem curamque hominum animadvertit Scipio, advocata contione, ita de aetate sua imperioque mandato et bello disseruit, ut ardorem eum, qui resederat, rursus excitaret novaretque, et impleret homines certioris spei, quam quantam fides promissi humani subicere solet.

(Da T. LIVIO).

3. *Amor di Patria* (de amore Patriae)

Non mihi soli sed etiam atque adeo multo magis natus sum Patriae; vita, quae fato debetur, saluti Patriae potissimum solvatur. Aluit haec me; tute atque honeste produxit usque ad hanc aetatem; munivit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis. Quid est quod a me satis ei persolvi possit? Nullum incommodum pro Patria grave putandum est: qui fugiunt id periculum, quod pro republica subeundum est, stulte faciunt.

Nam neque incommoda effugere possunt, et ingrati in civitatem reperiuntur. At qui patriae pericula suo periculo expetunt, hi sapientes putandi sunt, cum et eum, quem debent, honorem rei publicae reddunt, et pro multis perire malunt quam cum multis. Etenim vehementer est iniquum vitam, quam a natura acceptam propter Patriam conservaris, naturae, cum cogat, reddere, Patriae, cum roget, non reddere; et, cum possis cum summa virtute et honore pro Patria interire, malle per dedecus et per ignaviam vivere: pro amicis et parentibus et ceteris necessariis adire periculum, pro re publica, in qua haec et illud sanctissimum nomen Patriae continetur, nolle in discrimen venire.

Itaque uti contemnendus est, qui in navigatione non magis navem quam se vult incolumem, ita vituperandus qui in rei publicae discrimine suae plus quam communi salutis consulit. Nave enim fracta multi incolumes fuerunt; ex naufragio Patriae salvus nemo potest enatare. Quod mihi bene videtur Decius intellexisse, qui se devovisse dicitur pro legionibus et in medios hostes immisisse. Unde amisit vitam, at non perdidit: re enim vili carissimam et parva maximam redemit. Vitam dedit, accepit Patriam; amisit animam, potitus est gloria, quae, cum summa laude prodita, vetustate cotidie magis enitescit.

(Dalla RHETORICA AD HERENNIUM).

4. *Tempio saccheggiato.*

Templum, quod vides, parietibus nudis et deformatis, iam fuit ornatissimum, Virgini Deiparae dedicatum. In valvis erant argumenta veteris et novi Testamenti ex auro atque ebore diligentissime perfecta, quae omnia abstracta sunt: bullae quoque, aureae et graves, detractae sunt et ablatae. In fronte templi pugna equestris summo artificio

erat picta, sed pyrobolis est deleta. Interiores templi parietes vestiti erant tabulis, in quibus erant imagines principum civitatis, quae non solum pictorum arte ac nobilitate, sed etiam commemoratione hominum et cognitione formarum delectabant: hae tabulae quoque vel ablatae vel deletae sunt. Stabant in templo multa atque egregie facta simulacra Deiparae, Iesu Christi, Divorum; erant aënea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam munera in capitibus sustinebant: omnia barbari, Dei atque hominum inimici, abstulerunt.

D) SVOLGIMENTI LIBERI

1. *De litterarum Latinarum praestantia.*

Lati et Septimonti veteres incolae, augendae civitati intenti bellisque districti, litteras diu neglexerunt, atque contenti fuerunt inconditis carminibus, quibus deos placarent vel animi sensus effunderent vel clarorum virorum laudes celebrarent. Plus operae dederunt legibus scribendis et eloquentiae, qua Appius Caecus, ut illis temporibus, magnam laudem consecutus est; ac tandem bello Punico secundo Musa «pinnato gradu intulit se» in gentem Romuleam. Inter omnes constat, quo studio litteris se dederint Romani, simul atque Graecorum scripta cognoverunt; et magna ex parte iustum videtur Ciceronis iudicium, «omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent» (1). Quod Romani adepti non essent, nisi ad litteras colendas apti fuissent: nam antiquis quoque Gallis litterae Grae-

(1) *Tusculanarum Disputationum*, lib. I, 1, 1.

cae per Massiliensem coloniam maturrime innotuerunt, sed quid profecerunt?

Neque assentiendum est nonnullis exteris, gravissimis quidem existimatoribus, qui, ut Theodorus Mommsen ac Martinus Schanz, Romanos, immo Italos, contenderunt spiritu poetico caruisse, suos non fuisse, hoc tantummodo de genere humano bene meruisse, quod Graecorum artes et cogitata vulgaverint, recentioribusque tradiderint aetatibus. Nonne Lucretius omnes animi motus ex Epicuri materia excitavit? Nonne suus est Catullus, cum suavissima carmina de Lesbia, de fratre, de amicis conficit; nonne Ovidius in suis plurimis variisque operibus, quae morum factorumque pictura et ubertate orationis maxime nitent? Nonne Horatius felicissimus est in « odis Romanis », ubi Graecos negligit? Quid Vergili pietati atque inexstinguibili affectui per epicos numeros diffuso comparare possis? Quid de mirabili ac prope divina Ciceronis eloquentia dicam, quae in Urbe dominata est a reorum defensionibus ad illas orationes Antonianas, quibus pro re publica pugnans Caesaris Octaviani imperium commendare non dubitavit? Quid dicam de T. Livi gravitate, quid de Sallusti ac Taciti concitato ac prope tragico genere dicendi? Quod Graecorum scriptum opponas Caesaris commentariis vel Senecae epistulis vel Prudenti carminibus?

Hac Romanorum lingua imperatoria barbarorum animi delenti sunt, hac Ambrosius, Augustinus, sescenti Christi praecones novam fidem propagaverunt, hac Romana Ecclesia omnes orbis terrarum gentes allocuta est atque etiam nunc alloquitur. Usque ab aetate, quae media vocatur, docti viri omnia lingua Latina inter se communicaverunt, et non modo ad erudiendum, sed ad delectandum Latine scripserunt. Nulla est aetas, qua sermo Latinus obticuerit; multaque poemata, Petrarchae, Panormitae, Pontani, Politiani, Sannazari, Areosti, Vidae, Flamini, Vitrioli, Pa-

scoli, Latine confecta sunt; atque nostra etiam aetate, aetate restitutorum Fascium, lingua Latina aptissima ac dignissima videtur, quae omnium populorum opiniones et necessitates agitet, quae eruditorum virorum cogitata atque inventa patefaciat, quae Urbis orbi terrarum consilia et praecepta significet.

2. *De C. Iulio Caesare eiusque Commentariis.*

C. Iulius Caesar Romae nobilissimo genere ortus est anno centesimo (1) ante Chr. natum, a. d. III. Idus Apriles, qui mensis ex eius nomine postea Julius appellatus est. Iam a puero omni doctrina excultus, in litteras summopere incubuit atque in eloquentiam, quae, ut ait Cicero, fuit in eo magna et splendida. Eius amita C. Mario nupserat, ipse autem Corneli Cinnae filiam uxorem duxit. Quam repudiare a Sulla iussus, Caesar recusavit Romamque reliquit; pro eo deprecantibus: « Parcam », inquit tyrannus, « sed in eo adulescente multos video Marios ».

Extremis annis dominationis Sullanae Caesar in Asia fuit, ubi stipendia meruit et coronam civicam vita militis Romani servata adeptus est. Mortuo Sulla, Romam rediit, atque in foro versari coepit, duosque nobiles viros, qui provinciis praefuissent easque vexavissent, repetundarum accusavit. Postea, optimatum odium devitans, Rhodum se contulit, ut apud Molonem eloquentiae operam daret. Sed cum in itinere a piratis captus esset, qui viginti talenta pretium peterent, « quinquaginta dabo, inquit, sed cruci suffigam ». Et promissum persolvit; nam, cum

(1) Il Mommsen pone la data della nascita nel 102, perchè Cesare coprì la carica di edile nel 65, e per questa si richiedevano 37 anni di età; ma parecchie ragioni inducono a non credere necessario questo spostamento.

appulisset, nonnullas naves instruxit, piratas insecutus est, et captos Pergamum duxit, ibique supplicio affecit.

Anno septuagesimo tertio restituendae potestatis tribuniciae auctor acerrimus fuit, tribunusque militum factus est. Anno sexagesimo octavo amitam Corneliamque uxorem amisit, quarum elogium funebre dixit; eodemque anno quaestor in Hispaniam se contulit. Tradunt Gadibus ante Alexandri Magni simulacrum flevisse, quod hic id aetatis orbem terrarum subegisset, ipse nihil adhuc fecisset. Romam reversus, anno sexagesimo quinto aedilis curulis fuit, quo munere apparatusissima spectacula dedit; sexagesimo tertio anno, gratiae populari fortasse conciliandae, contra Catonis sententiam capita Catilinae coniurationis non supplicio afficienda sed in vinculis custodienda esse contendit. Anno sexagesimo altero praetor fuit, ac postea pro praetore Hispaniam Ulteriorem administravit; unde Romam reversus ad consulatum petendum societatem fecit cum Pompeio Crassoque, qui primus Triumviratus appellatus est. Consul creatus anno undesexagesimo legem de agro plebi dividendo, invito senatu, pertulit, et Galliam provinciam adeptus est, quo subsequenti anno se contulit, resque aggressus est, quas de bello Gallico Commentariis exposuit.

Liber I bellum continet contra Helvetios et Sueborum regem Ariovistum (a. 58), II acerrimum bellum in Belgas, Nervios, Aduatucos (a. 57); III bellum Galbae contra Alpinos et Caesaris in Venetos, Venellos, Aquitanos (a. 56); IV transitum Rheni et bellum contra Sygambros nec non expeditionem in Britanniam (a. 55); V alteram expeditionem in Britannos, quorum mores describuntur, et Eburonum seditionem reditumque Caesaris, qui eos Treverosque profligat (a. 54). Libro VI alter transitus fluminis Rheni, addita morum Gallorum Germanorumque descriptione, et fuga Sueborum et, post reditum in Galliam, Eburonum clades narratur (a. 53); libro VII seditio Vercin-

getorigis, qui omnes paene Gallos excitat: Caesar ex Italia multa hieme advolat, Cenabum et Naviodunum et Avaricum expugnat; inde contra Gergoviam movet, sed pedem referre debet, ut cum Labieno coniungatur. Vercingetorix Caesarem sequitur, sed, pugna equestri repulsus, copias Alesiam reducit, Mandubiorum munitissimum oppidum, ubi post multa atque acerrima proelia deditur (a. 52), et ad Caesaris triumphum reservatur. Res gestae sequentibus annis ab Aulo Hirtio, Caesaris legato, VIII libro expositae sunt.

Gallico bello confecto, cum senatus Pompeio faveret, ae decerneret ut victor Gallorum exercitum dimitteret, Caesar, postquam frustra petiit ut Pompeius idem faceret, hortantibus tribunis plebis, qui Roma fugere coacti erant, cum decima tertia legione, quam unam secum habebat, Rubiconem transiit, et per Umbriam ac Picenum progressus est, summa voluntate ab incolis exceptus et a Pompeianis militibus, qui duces suos deserebant. Pompeius una cum consulibus et magna parte senatus Italiam relinquit Brundisioque solvit, cum iam Caesar oppidum obsideret. Qui cum, navibus deficientibus, hostes insequi non posset, Roman venit, atque inde in Hispaniam, Pompei provinciam, proficiscitur. In itinere Massilienses ei portas claudunt; quare urbem obsidione cingit, atque in Hispaniam pergit, ubi Afranium Petreiumque, Pompei legatos, vincit. Haec libro I *belli civilis* narrantur.

Libro II res continentur terra marique circa Massiliam gestae; Terentius Varro, ipse quoque Pompei legatus in Hispania, se dedit Caesari, atque idem faciunt Massilienses, sed Curio, Caesaris legatus, qui cum duabus legionibus e Sicilia in Africam transierat, a Pompeianis, adiuvante Iuba, rege Mauritaniae, profligatur atque interficitur. Postero anno (lib. III), rebus Romae compositis, mare Caesar transmittit, et Pompeium aggreditur, qui ingentem exercitum conflaverat et Dyrrhachium vicinas-

que regiones obtinebat. Orico atque Apollonia occupatis, Caesar, cum diu circa Dyrrhachium frustra laboravisset, in Thessaliam versus iter fecit, ut copias cum Domitio Calvino coniungeret: Pompeius eum secutus ad Pharsalum devincitur; fugiens postea Mytilenas atque inde in Aegyptum, a regis Ptolomaei sicariis interfectus est. Caesar in Aegyptum venit, et cum iussisset regem Ptolomaeum eiusque sororem Cleopatram apud se de controversiis iure disceptare, regis autem tutores rem impedirent, bellum conflagravit.

Liber tertius belli quoque Alexandrini initium amplectitur, quod, si Caesar vixisset, quarto libro probabiter expositum esset: reliqua facta ab amicis narrata sunt libris, qui *bellum Alexandrinum*, *b. Africanum*, *b. Hispaniense* inscribuntur. Libri tres de bello civili post finem belli confecti esse videntur: neque hi, neque de bello Gallico commentarii ad finem perducti sunt, neque extrema manus eis accessit; sed ita sunt recti et venusti, quemadmodum ait Cicero, omni ornatu orationis ablato, ut, cum alios voluerit habere parata, quibus historiam scriberent, sanos homines a scribendo deterruerit.

3. *Sordellus*

sive de Sordelli persona apud Dantem Alagherium.

In parte Divinae Comoediae, quae est de purgatoriis poenis, seu potius in ea ipsa, quam Antipurgatorium vocant, Dantes Vergiliusque inter eos iter facientes, quos exeunte vita peccatorum poenituit, animam solam conspiciunt, quae magna cum gravitate sedebat, ac tamquam leo otiosus advenientes silens intuebatur. Vergilius tamen ei appropinquavit rogavitque ut viam monstraret, qua facilius ascendere possent. Ille rogationi non respondit,

sed unde et qui essent quaesivit. Quare suavis dux coepit: « Mantua... », at umbra Sordelli, iam omnino sola, surrexit e loco, ubi sedebat, dixitque: « Mantuane, ego sum Sordellus tuae ipsius civitatis! » atque inter se complexi sunt.

Dantes, ubi videt illam animam humanissimam nomine solum urbis audito tam benigne suum civem excipere, in Italiam acerbe invehitur, quam navem sine rectore in magna tempestate, non provinciarum dominam, sed lupanar appellat, ubi viventes pacem non inveniant atque inter se vexent qui eodem muro eademque fossa clauduntur. Et multa Italorum mala Dantes enumerat, quae e discordiis civium et principum atque in primis Romani imperatoris absentia existant, et acerrimos iambos in Florentinos eorumque levitatem convertit.

Postquam inter se terque quaterque complexi sunt, Sordellus paululum recessit, quaesivitque qui tandem illi duo peregrinantes essent. « Priusquam ad hunc montem conversae sunt », inquit dux, « animae dignae quae ad Deum ascendant, ossa a Caesare Octaviano mea sepulta sunt: ego sum Vergilius; neque alio crimine caelum amisi, nisi quia Christianam fidem ignoravi ».

Qualis est is qui rem ante se subitam videt, qua admiratur, ut incertus sit credat necne credat, talem ille se prae-buit, et oculos demisit, et ad Vergilium humilis reversus eius genua, ubi minor adhaeret, amplexus est. « O Latinorum decus », inquit, « per quem nostra lingua quid posset ostendit, aeternum loci ornamentum, ubi natus sum, quo merito vel qua gratia factum est, ut te coram aspicerem? Si dignus sum ut audiam tua verba, dic mihi veniasne ex inferis et qua sede ».

« Per omnes inferorum circulos damnatorumque poenas » respondit Vergilius, « huc usque veni: virtus me movit caelestis et comitatur ». Atque addidit, se in caelestem beatorum sedem non venisse, quod sero Christum cogno-

verit, sed esse in primo circulo inferorum sive Limbo, una cum sapientium virorum animis, qui baptismum non accepissent, rogavitque ut sibi indicaret, qua celerrime pervenire possent eo, ubi vera purgationis loca inciperent.

Sordellus respondit, se locum statum non habere, et, qua liceret, ducem eis futurum; sed iam diem ad occasum vertere, neque noctu escendi posse. Quare se eos ducturum in proximam vallem, ibique animas magnorum principum indicaturum. Ad hoc munus Sordellus a Dante delectus esse videtur, quod in carmine in Blancasum mortuum dixerit una cum hoc humanissimo fortissimoque equite mortuam esse virtutem, et reges ac principes suae aetatis hortatus sit, ut huius corde alerentur, eorumque singillatim vitia notaverit.

Fuit enim Sordellus vir fortissimus et maximus poetarum Italicorum, qui lingua Narbonensi scripserint. Carmina civilia composuit et amatoria, potissimum in Cunitiam de Romano, sororem crudelissimi tyranni Eccirini III. Multum per Italiam et Galliam Narbonensem peregrinatus est, et Carolum I Andegavensem secutus esse videtur. A Ghibellinis captus ac postea liberatus, pro meritis anno MCCLXIX quinque castellorum Aprutino- rum dominus factus est, sed paulo post decessit.

4. *De Iacobi Leopardi carmine, quod « All'Italia » inscribitur.*

Iacobus Leopardi, viginti annos natus et scriptorum Graecorum Romanorumque studio imbutus, cum videat post Vindobonae conventum Italiam multis principibus eisque maxima ex parte exteris subiectam, « Patria mea », inquit, « video superesse moenia et arcus et columnas et simulacra et turres solas maiorum, sed non video gloriam, non laurum, non ferrum, quo patres nostri onusti

fuerunt ». Poeta contra sibi videtur cernere quasi Italiae pulcherrimam personam inermem ac sine ornamentis, vulneribus atque squalore confectam, et deos hominesque rogat quis talem eam reddiderit. Et addit (etsi species parum cohaeret), Italiam, bracchia vinctam catenis, incomptam, neglectam, dolentem humi sedere et flere os inter genua celantem.

Multas ait poeta esse causas cur fleat Italia, ad imperium nata in rebus secundis atque in adversis. Fuit enim domina, at nunc serva. Quis de ea loquitur aut scribit quin dicat: iam fuit magna, nunc quantum mutata ab illa? « Curnam? ubi est pristina vis, ubi arma et virtus et constantia? Quis, Italia, tibi gladium ademit? quis prodidit?... Quomodo vel quando ex tanta altitudine in tam humilem locum abiecta es? Nemo dimicat pro te? nemo tuorum te defendit? Arma, date arma: ego solus pugnabo, ego solus occumbam. Effice, Deus, ut Itolorum animis ignis sit meus cruor ».

Sed hic poetae venit in mentem Italiae filios etiam nunc fortes esse, atque audire videtur et armorum et curruum et tympanorum sonitum: transeunt ob oculos Leopardi undae peditum et equitum et fumus et pulvis et gladii lucentes tamquam inter nebulam fulgores. Hoc tamen non est solacio Italiae, quae ne oculos quidem vertit ad discrimen. Quid pugnat in illis campis iuventus Itolorum? In Russia pugnat, duce Napoleone, pro Gallia, pro exterorum dominatu! « A miserum! qui in bello interficitur non pro patria, non pro legitima coniuge carisque pignoribus, sed ab hostibus aliarum gentium necatur, neque moriens dicere potest: « Alma natalis terra, quam mihi dedisti, tibi reddo vitam ».

Quare poeta, dolore permotus, antiquissima tempora memorat, quibus homines pro patria mori non dubitent, ac Thermopylarum celebrat angustias, ubi pauci milites, sed prompti ac generosi, multo fortiores Persis

et fato fuerunt... Et Simonidem describit collem ad Anthelam ascendentem, eiusque carmen redintegrat in fortissimos viros, qui ad Thermopylas Leonida duce mortem oppetierunt...; nobilissimumque fragmentum Cei poetae Italice verit̄: « Ara est vestrum sepulcrum... ».

En Leopardi genua flectit, et lapides glebasque osculatur, quae perpetuo clarissima futura sunt. Et vellet sese quoque ibi esse, in sepulcro cum illis viris, almuque solum sanguine madidum fecisse. Quod si fortuna non concesserit ut ipse pro Graecia in bello periret, at vatis honesta fama valeat apud posteros, valeat nempe dum ex ossibus patriae vindices existant.

Hoc lyricum poema est sane genere orationis inflatum, et iuvenili quadam, in primis quod ad figuras dicendi pertinet, exultatione redundat, et duae partes carminis, quarum prima Italiam vates alloquitur, altera autem Simonidis threnum restituere conatur, parum inter se cohaerent; sed cogitationes et sensus et spiritus maxima vi instant et sincerissima sunt. Amore patriae, qui est in scriptoribus veteribus recentioribusque, alti sunt atque aluntur animi invenum, qui omnibus temporibus, maxime nostra aetate, vitam obtulerunt, ut Patria viveret atque Imperium reciperet. In his scriptoribus Iacobus Leopardi unus omnium fortasse dignissimus est qui numeretur, cum celerrimo animi impetu Graecorum ac Romanorum virtutem expresserit et commendaverit.

5. *Ad professorem exterum, ut suam sententiam de quaestione quadam explanet.*

Clarissime Professor,

ne aegre feras ignotum adolescentem Vergili studiosum audere tibi ex Italia hanc epistulam scribere.

Legi in ephemeride te pulcherrimum librum scripsisse de temporum descriptione in Aeneide atque statuise

Aeneam mense Martio pervenisse in Latium. Nescio quibus rebus fretus hanc sententiam edideris, et vehementer te oro ut eas mecum cummunicare velis. Namque ego saepe venatum eo cum amicis ad ostia Tiberis, sed mense Martio numquam ibi vidi aves varias, scilicet variis coloribus, volantes et canentes, ut ait Vergilius initio libri septimi. Animadverto praeterea mense Martio non inveniri in agro Romano poma agrestia, quibus Vergilius in lib. VII, versu centesimo undecimo, Troianos mensas onerantes facit.

Ignoscas, quaeso, rogationi meae, meque habeas tui observantissimum.

N. N.

Roma, Nonis Ianuariis, anno 1938, XVI a restitutis Fascibus.

6. *Ad amicum Sinensem.*

Amice mi,

Pro mea in te amicitia et pro voluntate studioque in universam nationem Sinensem haec tibi scribo, cum noverim te propter clades tuae gentis magno dolore affici. Semper existimavi vobis cum Iaponibus amicitiam esse debere et societatem, ac magnopere dolui, cum audivi Iaponicam classem ad Sinenses oras portusque accessisse, et milites cum armis exposuisse.

Non dicam id Iapones fecisse optimo iure; sed cur in vestras urbes omnium fallaciarum machinatores accepistis, oratores et milites Russos, negotiatores et argentarios Britannicos? Cur vestra emporia tradidistis aliis gentibus, Iaponibus prohibuistis? Sunt Iapones vobis omnium propinquissimi non solum spatio, sed et lingua et natura; vos antiquam habetis gloriam et historiam clarissimam, Iapones autem labore, industria, virtute cul-

tum populorum Europaeorum adaequaverunt, et Russis devictis potentissimum imperium constituerunt. Nunc ipsi vires habent: vos prius diuturno otio, postea civilibus discordiis fracti, num speratis exterarum gentium auxilio vincere posse? Nonne videtis Russos communistas omnium gentium statum evertere velle? Qui si rerum vestrarum potiti erunt, finem facient non modo libertatis sed etiam nominis Sinarum.

Quare operam date, ut foedus et amicitiam cum Iaponibus coniungatis. Interea, ut Iapones iam fecerunt, antiquam ponite desidiam, omnes Sinenses ad concordiam revocate, agros colite, exercete metalla, opificum labores honorate, militiam amate et virtutem. Quae si feceritis, tempus fortasse adveniet, quo, si non superiores, at certe aequales Iaponibus eritis: populorum enim, ut hominum, dignitas et potentia ex rebus gestis existimantur.

Rogo ut meam libertatem excuses, et quae dixi aequo animo accipias. Vale et me amare pergas.

Mediolano, a. d. V Cal. Ianuarias, anno 1938, XVI post restitutos Fasces.

N. N.

7. Hortatio (1) in iuvenes.

Italiae filii, flos et robur renatae gentis Romuleae, quid vos potissimum horter, quid praecipiam?

Mementote patrum, vestigia persequimini virorum, qui sanguinem fuderunt, qui hostes et penuriam vicerunt, ut Patria viveret, et libera et magna esset, et Imperium reciperet.

(1) *Hortatio* è usato da CICERONE (*Tuscul. Disputationum* lib. II, 16, 37) per indicare l'ἐμβατήριον spartano, ma corrisponde non meno bene alle ὑποθήκαι di Tirteo e di Solone.

Matres vestrae aurum coniugale in aram Patriae obtulerunt, vos et ipsi crepundia et ferrum dedistis;

fratres vestri, nonnulli quidem nondum pubescentes, in bellum ierunt, fortiter pugnaverunt, nonnulli ceciderunt, multi redierunt victoria insignes.

Pergite hac via, filii; durate, neque vos poeniteat laborum: magna sunt praemia vobis et filiis vestris proposita.

Opus magnum, quod inclutus Dux, a Deo missus, peragendum suscepit, non brevi tempore perficietur.

Imperium terra marique muniendum est, atque ad id unusquisque, sive vir sive mulier, multa conferre potest.

Matres puellaeque Spartanae numquam timuerunt, numquam dolore victae sunt.

Imperator Augustus, qui adulescentes dilexit eisque magnopere favit: « si merebuntur », inquit.

Omnibus aliquid merendum est, iuvenes: studio et fortitudine, consilio et opera, fide et virtute merendum est. « Virtus enim in actione consistit ».

Hoc modo Italia atque Imperium tuta fient et crescent; et vos clari eritis in omni orbe terrarum, et magis magisque coletur rerum maxima Roma.

APPENDICE I

CARATTERI E PREGI DEGLI SCRITTORI

(SCRIPTORUM COLORES ET VIRTUTES)

PRIMI SCRITTORI DI ROMA. — Possunus **Appium Claudium** suspicari disertum, quia senatum, iam iam inclinatum, a Pyrrhi pace revocaverit, possumus C. Fabricium, quia sit ad Pyrrhum de captivis recuperandis missus orator; Ti. Coruncanium, quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur; M' Curium, quod is tribunus plebis, interrege Appio Caeco diserto homine comitia contra leges habente, cum de plebe consulem non accipiebat, patres ante auctores fieri (dar preventivamente l'approvazione) coëgerit....

Quem vero exstet et de quo sit memoriae proditum eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est **M. Cornelius Cethegus**, cuius eloquentiae est auctor et idoneus quidem, mea sententia, Q. Ennius, praesertim cum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo; ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono, ut opinor, annali:

additur orator Corneliu' suaviloquenti
ore Cethegus Marcu' Tuditano collega
Marci filius....

Et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit, quae nunc quidem non tam est in plerisque (non è così comune); latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur; sed est ea laus eloquentiae certe maxima:

... is dictust ollis popularibus olim
 qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
 flos delibatus (elctto) populi...

Probe vero; ut enim hominis decus ingenium, sic ingeni ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt:

Suadaeque medulla

πειθῶ quam vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc Suadam appellavit **Ennius**; eius autem Cethegum medullam fuisse vult, ut (sicchè) hic poeta dixerit, nostrum oratorem medullam fuisse huius deae, quam in Pericli labris scripsit Eupolis sessitavisse (soler dimorare). At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo.... Illius autem aetatis qui sermo fuerit ex Naevianis scriptis intellegi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus; quamquam Varro, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Naevi producit longius. Nam Plautus P. Claudio L. Porcio, viginti annis post illos quos ante dixi, consulibus mortuus est, Catone censore.

Hunc igitur Cethegum consecutus est aetate **Cato**, qui annis novem post eum fuit consul.... Nec vero habeo quemquam antiquiorem (di Catone), cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appi Caeci oratio ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. Et hercules eae quidem exstant; ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam rerum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam.... Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? At quem virum, di boni! Mitto civem aut senatorem aut imperatorem; oratores enim hoc loco quaerimus: quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisse-

rendo que subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus. Licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint: omnes oratoriae virtutes in eis reperientur. Iam vero Origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? Amatores huic desunt, sicuti mutis iam ante saeculis et Philisto Syracusio et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis officit Theopompus elatione atque altitudine orationis suae (quod idem Lysiae Demosthenes), sic Catonis luminibus (splendore) obsbruxit (portò oscurità) haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio (i discorsi quasi costruiti con troppa altezza).

Nihil est simul inventum et perfectum, nec dubitari debet quin fuerint ante Homerum poetae, quod ex eis carminibus intellegi potest, quae apud illum et in Phaeacum et in procorum epulis canuntur. Quid, nostri **veteres versus** ubi sunt?

.... quos olim fauni vatesque canebant,
cum neque Musarum scopulos quisquam superarat
nec dicti studiosus erat.....
ante hunc.....,

ait ipse (Ennius), nec mentitur in gloriando: sic enim sese res habet. Nam et Odyssia Latina est tamquam opus aliquod Daedali, et Livianae fabulae non satis dignae quae iterum legantur. Atqui hic **Livius** (Andronicus) primus fabulam (dramma) C. Claudio Caeci filio et M. Tuditano consulibus docuit anno ipso ante quam natus est Ennius, post Romam conditam autem quarto decimo et quingentesimo, ut hic (Atticus), ait, quem nos sequimur. Est enim inter scriptores de numero annorum controversia.

.... Atque utinam exstarent illa carmina, quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus in Originibus scriptum reliquit Cato! Tamen illius, quem in vatibus et Faunis annumerat Ennius, **bellum Punicum** quasi My-

ronis opus delectat. Sit Ennius sane, ut certe est, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum bellum reliquisset. Sed ipse dicit, cur id faciat: « Scripsere », inquit, « alii rem vorsibus... ». Et luculente quidem scripserunt, etiamsi minus quam tu polite! Nec vero tibi aliter videri debet, qui a **Naevio** vel sumpsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti (CICERONE).

CESARE. Caesar autem, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat. Itaque cum ad hanc elegantiam verborum Latinorum (quae, etiamsi orator non sis et sis ingenuus civis Romanus, tamen necessaria est), adiungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc cum habeat praecipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. Splendidam quandam minimeque veteratoriam (che non ha nulla di mestierante) rationem dicendi tenet, voce, motu, forma (bella presenza) etiam magnificam et generosam quodam modo.

Orationes quidem eius mihi vehementer probantur; complures autem legi, atque etiam commentarios, quos idem scripsit rerum suarum, valde quidem probandos. Nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta (senza alcun ornamento oratorio, come un corpo spoglio delle sue vesti). Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent calamistris illa inurere (che vorranno applicarvi il ferretto per i riccioli): sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil est enim in historia pura et illustri brevitate dulcius (CICERONE).

Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acu-

men, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat; exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia (QUINTILIANO).

CICERONE E DEMOSTENE. Ciceronem cuicumque oratorum Graecorum fortiter opposuerim. Nec ignoro quantam mihi concitem pugnam, cum praesertim non id sit propositi, ut eum Demostheni comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem in primis legendum vel ediscendum potius putem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes: consilium (disegno), ordinem, dividendi (distribuire), praeparandi (esordio), probandi (confirmatio) rationem, omnia denique (insomma) quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior, ille concludit astrictius, hic latius, pugnat ille acumine (di punta) semper, hic frequenter et pondere (anche col peso dell'eloquio), illi nihil detrahi potest, huic nihil adici, curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiseratione, quae duo plurimum in affectibus valent, vincimus. Et fortasse epilogos (perorazioni) illi mos civitatis abstulerit, sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit. In epistulis quidem, quamquam sunt utriusque, dialogisve, quibus nihil ille (effecit), nulla contentio est. Cedendum vero in hoc, quod et prior fuit et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit.

